

dicandum fuit, alio vero tempore idem plenius potero de-
monstrare.

Post Geographica, Chronologica quidem à prima adole-
scentia me delectarunt, postea vero diversissimæ sententiæ Ce-
leberrimorum Chronologorum me ab hoc studio deterruerunt,
cum illud maximæ incertitudini subiectum existimarem. Sed
tandem edoctus sum, vitium latere non in scientia, sed in Au-
ctoribus, qui suppositis quibusdam Hypothesibus, reliqua ad
eas contorquent. Et quidem ex Scriptis Cl. & Rev. Viri, Dn.
ALPHONSI DES VIGNOLES, ejusque humanissima conversatione,
gustum veræ Chronologiæ, ejusque discrimen à falsâ vel incer-
tâ, cum maxima voluptate me percepisse, ingenue fateor.
Optandum, ut ejus Scripta, scilicet *Chronologia Historiæ Sacræ, Dis-
sertatio de Chronologia Sinensium*, aliaque, propediem lucem vide-
ant publicam, & ut Deus Seni Venerando vitam & vires sup-
peditare velit, ad edendum ea, quæ jam perfecit, & quæ adhuc
sub manibus habet. Quod ad me attinet, hac vice quasdam a-
nimadversiones circa Chronologiam Tartarorum, & errores
quæ circa eam committi solent, proposui.

Descriptionem denique Auroræ Borealis solam, sine explica-
tione causarum naturalium addidi. Libenter enim fateor, animū
meum dubium adhuc hære, inter diversas opiniones diversorum
Physicorum circa hoc Phænomenon. Et quamvis hæc vel illa
sententia mihi probabilior videatur reliquis, tamen ab explicati-
one causarum potius abstrahendum judicavi, quam, ut senten-
tiam, vel ab alio jam prolata, repeterem, vel novam fingerem.
Alio tempore quædam, quæ ad Historiam Auroræ Borealis, non
solum Phænomeni, sed etiam quæ ad Historiam opinionum di-
versorum Auctorum, tam antiquorum quam recentiorum, circa
ejus causas physicas pertinent, si Deus voluerit, explicabo. In-
terim vale, fruire his, & plura, Tibi forte gratiora, expecta.

Berolini d. 24 Apr. 1730.

C. KIRCH.